

dit, *quod existentia sit de essentia entis perfectissimi.* Et hæc consequentia est verissima, quia antecedens, sc. *quod essentia entis maximi & perfectissimi sit possibilis,* negari nequit. Itaque Deus hanc habet prærogativam, quod ex sola ejus *possibilitate sequatur etiam ejus existentia.*

VIII. *ex ordine causarum* ita argumentando: Quoniam rationi rectæ *processus in infinitum* repugnat, firmiter sequitur, dari *primas causas* e. g. *primum hominem, equum &c.* Jam experientia docet, quod causæ secundæ potentias habeant limitatas, potentia autem limitatæ agnoscant causam quandam limitantem & nobiliorem, quam vocamus *Deum.*

§. 2. Possent adhuc plura argumenta pro demonstranda Dei existentia desumi ab *acquiescentia mentis in idea Dei, a conservatione hujus totius, ab artificiosissima fabrica & ordine hujus mundi, ab animalium sexu diverso eorundemque organis mirificis, utpote oculis, auribus, manibus, corde, voce &c. &c.* sed firmiter sum persuasus, exposita argumenta sufficere, nec permittere, ut quis cum ratione Dei existentiam negare, aut de Deo semper dubitare possit.

§. 3. Illud autem ens, quod hominibus & reliquis entibus illis inferioribus existentiam dedit, (1) *necessario debet esse vivum & intrinseca ac infinita aëtivitate præditum,* cum quomodo ens inactivum alia entia efficere potuisset, concipi nequeat, (2) *necessario debet a se existere;* siquidem ens, ab alio ortum habens, sit imperfectum

B

ne-